ORATIO FUNEBRIS CAROLI OLIVIERIJ I.V.D. PERUSINI HABITA IN TEMPLO D. DOMINICI...

Carlo Olivieri

Digitized by Google

1052.23

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1052
23

XXXVIII
3 L 17

ORATIO FVNEBRIS CAROLI OLIVERII I. V. D. PERVSINI

Habita in Templo

D. DOMINICI

AVGVSTÆ PERVSIÆ

IX. KALENDAS SEPTEMBRIS M.DC.IC.

CVM

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

F. IO. THOMAE DE ROCABERTI

VALENTIAE TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPO
Et Summo in Hiſpaniis Fidei Quęſitori,
Olim Prædicatorum Ordinis Generali Moderatori

Solemnes darentur Exequiæ.

REVERENDISSIMO PATRI SAC. THEOL. MAGISTRO

F. ALOYSIO DE BARVTEL, ET ERIL

Eiusd. Ord. Supremæ S. Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificatori.

PERVSIAE apud Coſtantinum M. DC. IC.

SVPERIORVM PERMISSV.

1052.23

REVERENDISSIME PATER

Parentalia & nos auguſto in hoc Templo ritè dedimus Dominicanæ univerſæ Familiæ olim Parenti optimo, affuſis ad cœnotaphium lacrymis triſte obſequium teſtati. Vidimus inter ferales cupreſſos ſuaviſſimam Peruſinæ Palladis OLEAM, *Patriæ ſcilicet Eloquentiæ lumen ſanè non poſtremum inter faces funereas prodire, quod caligantes præ luctu omnium oculos ſerenavit, dum emortualem pompam chariſſimi capitis triumpho abſolveret. Cum laudibus exceptam Laudationem, Auctore invito extortam, dum evulgamus; tibi præſertim nuncupatam volumus, qui ſanguinis & virtutum affinitate Defunctum proximè contingebas: quòd nec ille, ſi viveret, alibi, quàm apud Virum veſtigijs ſuis maximè inhærentem, libentiùs conquieſcere amaret. Moribus ac doctrina ipſum aſſequutus, muneribus quoque aſſequeris aliquando, augurarer, ſi pateretur Modeſtia tua; quæ te honores mereri docet non optare. Iſta deterrente, vix Teſtimonium hoc præſtantiſſimæ illius virtuti additum offerre audebam: malui tamen vulnerare Modeſtiam tuam, quàm privata mea officia & ſtudia palam deſiderari. Vale Peruſiæ. V. Idus* Septembris *M*DCIC.

Humillimus, ac Obſequentiſſimus Servus

N. N.

SI unquam mœrorem, & gaudium, inſueto fœdere conſociatos, animis noſtris unà inſidere contingat, tunc profectò id accidit, cum mortalium funera contemplamur N. N. Neque improborum tantummodò, verùm etiam proborum hominum interitus contrarios hoſce in nobis affectus excitat, lacrimasque confundit cum riſu: hoc tamen diſcrimine inter eos intercedente, quòd eodem ex fonte, quo in viri optimi occaſu dolor noſter emanat, in morte peſſimi capitis lætitiam derivamus; & quod in illo nobis exultandi materiam præbet, in hac invitat ad fletum. Dolemus quidem, & inſimul gaudemus, ſi impius fato ceſſerit: dolemus, quòd nobiliſſima Divinitatis imago, ſcelerum labe deturpata, æternis addicatur tormentis, perpetuoque igni devota infernis Tortoribus demandetur; gaudemus, quòd deletus ſit ex albo viventium, qui viventium pacem interturbabat, & in humanis agere deſierit, qui nihil humani gerebat præter licentiam peccandi: noſtra proinde non dolemus, ſed eius mala; non eius bono, ſed noſtro gaudemus. Angimur pariter, & lætamur, ſi iuſtus intereat: angimur, quòd e vita migraverit, qui vitæ noſtræ ſolamen erat, quique ope, conſilio, virtute, ſanctitate plurimùm pollens, non potuit ſine magno Reipublicæ detrimento, non ſine maiori Neceſſariorum incommodo, non ſine maxima omnium perturbatione occumbere; lætamur verò, quòd poſt curſum metam attigerit, poſt labores præmium obtinuerit, poſt bella triumphos agat, quod vaſtum denique, ac procelloſum Mundi huius pelagum tranſuectus, in portu ſiſtat tranquilliſſimæ Beatitatis: gratulamur itaque eius felicitati; noſtra damna deploramus. Quamobrem, quo triſtitiæ, quo voluptatis ſenſu; Ioannis Thomæ de Roccaberti, Dominicanæ Familiæ decoris præſtantiſſimi, cui nunc iuſta perſolvimus, proſequi obitum debeamus, quiſque videt; &

vos

vos præcipuè videtis, eius ampliſſimi Ordinis P. P., qui me indiſertum Oratorem, omnique eloquentiæ vi deſtitutum, hùc advocaſtis, ut in hac funebri pompa, veſtræ mœſtitiæ conſors, veſtrique particeps gaudij, tanti Viri virtutes, ac merita mixtis officijs celebrarem. Quandoquidem veſtris non parere mandatis piaculum mihi eſſet, ſinatis, oro, ut in priori Orationis meæ parte veſtra refricem vulnera, vobiſque primùm, mox univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ nonnulla obijciam irritamenta doloris; de non paucis, ijsque ſolidiſſimis lætitiæ argumentis, mutata facie, in poſteriori dicturus.

Earum potiſſimè rerum privationem maximè acerbam accidere, quæ nobis apprimè charæ fuerunt, quaſque ſingulari proſecuti fuimus benevolentia, ire nemo poteſt inficias. Quid verò inter nos charius, quid amabilius, quid noſtro ſtudio, obſequio, veneratione dignius, quam Pater? Huic primos, poſt Superos, honores habere, huius incolumitati totas corporis, animique vires intendere, hunc præ cæteris in corde, in oculis ferre, divina etiam ſilente lege, ipſa nos docuit natura. Quapropter impium, ac propè tirannicum eſſet, iuſtiſſimis doloris, ac lacrimarum officijs paternos fraudare cineres, ſuamque orbitatem, inconcuſſo animo, ſiccisque oculis, ſuſtinere. Quis ergò Veſtrum a ſuſpirijs, a gemitu temperare valeat, in amariſſima tam chari Patris iactura, Religioſiſſimi Filij? Parentem enim veſtrum non iniuria appellaverim, qui, novem annorum curriculo, ſupremum veſtri Ordinis tenuit faſtigium. Patrem igitur amiſiſtis, & Patrem heu qualem! Hæc eius laudum ſumma eſſe poſſet, quòd in eo nihil fuerit non laudabile. Nam ſi Natalia reſpiciamus, quis illo ſortitus eſt ſplendidiora? Non defuerunt ei ſericæ faſciæ, cunæque auro intextæ, quales decerent ex primaria Hiſpaniarum nobilitate, titulis non adventitijs inſignita, clarisſimum germen; non defuerunt vetuſtiſſimæ Maiorum imagines, quà toga, quà ſago, illuſtrium, domeſtico quorum exemplo ad ardua queque capeſſenda fortiter provocaretur. Et ſanè intra carceres non diù ſtetit animus ad res præclarè gerendas a natura factus, ſed avitæ gloriæ ſtimulis acriter incitatus, ab ineunte adoleſcentia, militiæ nomine dato, armiſque pro Catholico

Rege ſuſceptis, bellicis ſępè ſudoribus gravis, ſępè hoſtili ſanguine decorè ſordidus, in ipſa verſari voluit mortis palæſtra, ut ſibi famæ immortalitatem compararet. Et, o quam inſignes triumphos a tanto milite expectabat Iberia! quam ingens ſibi nomen martiali ex pulvere ſtrenuus Bellator augurabatur! quando præſentiſſimus eius menti divini luminis radius illuxit, eumque a prophana militia ad ſacram illicò avocavit. En Thomas, cæleſti obſecundans afflatui, ferro exarmatus, loricam Iuſtitiæ, & galeam Salutis induit; militarem chlamydem, fœdo adhuc Hoſtium cruore conſperſam, candidiſſimis Dominici laneis commutat; & qui nuper inſtructis ad bellum copijs imperare didicerat, ſe, ſuamque voluntatem alieno ſubdit arbitrio. O dignum Dominico duce militem Thomam; in hoc ei diſſimilem, quòd ille, in celebri adverſus Albigenſes expeditione, publico bono conſulens, a Clauſtris tranſivit ad caſtra, tu ad tergeminum humani generis hoſtem obruendum ad Cœnobium ex acie commigraſti! Quantùm verò ſcientiarum, & diſciplinarum omnium comprehenſione, quantùm pietate, cæteriſque præſtantiſſimis animi dotibus novus Cœnobita præſtiterit, facilius eſt mente ſuſpicere, quam verbis explicare. Id maximè admirabilem eius in omni virtutum genere abſolutionem teſtatam facit, quòd in generalibus ſui Ordinis Comitijs, anno ab hinc fermè trigeſimo, generalis eiuſdem Ordinis Moderator, unanimi omnium ſuffragio, unanimi acclamatione fuerit renunciatus. Et cuius Ordinis, Deus immortalis? Ordinis profectò illius, qui ſanguinis nobilitate illuſtriſſimus, ſanctimonia celeberrimus, eximius doctrina, Apoſtolico munere inſignis, Fidei propugnatione conſpicuus, Infulis, Purpuris, ac Pontificijs Tiaris ornatiſſimus, Cœlo charus, Inferis formidabilis, omnem Mundi partem, vel inhoſpitam, vel barbaram, inclyti ſui nominis fama implet, remotiſſimas quaſque terrarum plagas, latebraſque tenebricoſas lucis ſuæ ſplendoribus illuſtrat, ubique demum locorum veneratione excipitur, amore colitur, laudibus cumulatur. An non igitur oportuit, ad tam præclari Ordinis principatum gerendum, inter Sapientiores Sapientiſſimum, inter Meliores Optimum eligi? Minus tamen mirarer Thomam ad ſummum illud religioſæ dignitatis culmen

men evectum, ſi id, tantùm vergente ad ſenium ætate, promeritus eſſet: nam & facile eſt per longæva annorum ſpatia, immenſa quamvis, ſcientiarum, ac virtutum ſtadia emetiri; & ſenectus ipſa pro merito eſt. At, o rem ſine exemplo, & miraculo proximam! tertium ſupra quadrageſimum annum vix expleverat Thomas, cum inter Guſmani Herois Aſſeclas præclariſſimos principem locum obtinuit: adeo ut, ſi adoleſcentiam ſubtrahamus, quam inter arma penè totam abſumpſit, per pauciſſimos annos confecerit, quod Alij longiſſimi temporis apparatu expedire vix poſſunt. Nec quiſpiam hìc opinetur, in tam viridi ætate, & quæ non nemini videri poſſet ad demandatam ei provinciam immatura, deſideratam fuiſſe, non imparem iniuncto muneri, prudentiæ maturitatem. Vos teſtes appello, quotquot ex Dominicana Familia ſub tanto Moderatore vitam agitaſtis iucundiſſimam. Non ne viſa vobis fuerunt, ſub eius feliciſſimo imperio, aurea ſecla reviviſcere? Amabat quidem diſciplinæ ſeveritatem, ſed indulgentia temperatam; ſuſtinebat pro dignitate gradum, ſed humanitate comite; exigebat obſequium, ſed amore; occupabat animos, ſed beneficijs; dicto audientes habebat, ſed exorare videbatur, cum imperaret. Cuius unquam preces inanes abire ſivit? Cui poſtulata denegavit? Vel ſi aliquando denegavit, quis negavit eum in ipſa denegatione gratiorem extitiſſe? Nihil ſtudioſius coluit, quàm æquitatem, cuius lance cuiuſque merita penſitabat, ut cuique pro meritis ſatisfaceret; quod tam prudenti agebat conſilio, ut Dignioribus præmio cohoneſtatis non inviderent qui minus digni repellebantur. Vnum mihi ſupereſt de prudentiſſimo, ac verè paterno regimine, quo Omnium ſibi ſubditorum amorem ſimul & reverentiam conciliavit, minimè omittendum: nunquam ſcilicet Thomam, vel ad ſtudium bonarum artium, ac liberalium diſciplinarum, vel ad pietatis cultum, ex eis aliquem invitaſſe, cui ſuomet ipſe non præiret exemplo; & ſi quid unquam duriuſculum fieri mandaſſet, ipſe prior exequebatur, ut oſtenderet, ſe nihil fieri velle, quod fieri non poſſet, poſſe autem fieri, quod ipſe faceret. Sed quid ultra immoror in peculiaribus hiſce amoris ſignificationibus, quo vos non degeneres filios proſecutus eſt amantiſſimus Pater, cuius triſte de-

ſiderium

ſiderium, & acerba recordatio, intra domeſticos tantùm, ut ita dicam, privatoſque parietes, veſtrarum duntaxat excutit vim lacrimarum? Habet & univerſus Chriſtianus orbis in tàm præclaro Eccleſiæ lumine extincto non unam dolendi cauſam, publicumque faciendi dolorem ſuum: Moriente enim Thoma, Chriſtianæ ſimul exaruerunt profuſiſſimæ venæ liberalitatis, firmiſſimum ruit fidei, ac Religionis propugnaculum. Suſpeximus hucuſque, A. A., Heroem noſtrum in Dominicana Præfectura de religioſa familia optimè meritum; nunc in altiori ſpecula poſitum, & beneficentiæ ſinum largius pandentem ſuſpiciamus. Hiſpaniarum Rex, meritorum Iudex, & æſtimator æquiſſimus, ferre non potuit Virum, nemini ſecundum, paucis æqualem, ſub extero Cælo diutius commorari: quapropter Roma ad Patriam revocatum, ex generali Ordinis Magiſtro, ſacrum Valentiæ Antiſtitem deſignavit. Non deprecatus eſt Thomas Regis munificentiam, ſed ut munificentia Regem vinceret. Subijt honorificentiſſimum Archiepiſcopatus onus, ſed ut aliorum onera levaret. Opulentiſſimum Sacerdotium ſuſcepit, ſed ut animarum queſtum faceret, non pecuniarum. Siquidem, quidquid ex amplisſimo Eccleſiæ illius patrimonio parçæ eius menſæ, modeſtæ ſupellectili, decenti familiæ ſupererat, vel alendis Pauperibus victum in diem emendicantibus, eorumque nuditati operiendæ, vel Sacerdotum egeſtate laborantium decori ſuſtentando, vel ſublevandis honeſtioribus familijs Rei domeſticæ anguſtia presſis, vel tutandæ Virginum periclitantium caſtimoniæ, vel ſacris denique ędibus, quà reparandis, quà ornandis, ſuæque potiſſimùm Eccleſiæ dignitati, ac ſanctitati augendæ, excolendæque, liberaliter erogabat. Quid multa? Tantùm cordi fuit beneficentisſimo Præſuli commune bonum, & publica utilitas, ut vel moriens certisſimum benemerentis animi teſtimonium exhibuerit. Quippè qui amplum, Magnificumque Collegium, ad Orthodoxæ Religionis incrementum, Valentiæ fundari iusſit, illudque, facta a Pontifice poteſtate, ex aſſe hæredem inſtituit, cuius curam, ac regimen, ne propriæ cauſæ faventem quis redargueret, Minorum, ut vocant, Clericorum vigilantiæ commiſit. Opus ſanè, quod non tàm ſingularem munificentisſimi Viri largitatem, quàm incomparabi-

parabilem in Catholica fide tutanda ſollicitudinem, de qua poſteriori loco dicturus eram, abundè teſtatur. Ampliorem eius rei fidem nobis præbent quinque & viginti, eaque ingentia volumina pro Apoſtolicæ Sedis authoritate a Thoma in lucem edita, quæ partim ab alijs Authoribus elucubrata, & huc illuc, non procul ab oblivione, diſperſa, accuratè collegit, partim, vigilijs per multas noctes productis, ex penu Sapientiæ, hoc eſt ex doctiſſima ingenij ſui officina deprompſit. Quis numerare poſſit Eccleſiæ Romanæ Perduelles ab uno Thomæ calamo profligatos? Quis laudes, quis plauſus, quis acclamationes, quibus optimi quique Religionis noſtræ cultores invictum Pontificij nominis vindicem, & extulerunt, & efferunt? Non latuerunt Hiſpaniarum Regem Thomæ labores in Religione defendenda viriliter exantlati. Non latuerunt noctes, quas duxit inſomnes, ut Aliorum bono vigilaret; non dies, quos irrequietos tranſegit, ut quieti conſuleret alienæ. Miratus eſt hominem, commendavit, charum habuit, præmio condecoravit: in ſupremum enim totius Hiſpaniæ Fidei Quæſitorem Rex pijsſimus, regali planè ſignificatione, virum undequaque abſolutiſſimum elegit. At præmium appellaveram? O vim verbi tenuem, & pro dignitate rei minimè accomodatam! Cùm nihil ſanctius apud Hiſpaniarum Reges, nihil antiquius unquam fuerit, quàm tectam ſartam, & ab omni vel leviſſima labecula ſinceram præſtare Catholicam Religionem; nullam pariter Præfecturam in univerſo Regno, neque aulicam, neque politicam, neque militarem, amplitudine, poteſtate, exiſtimatione adæquari voluerunt maximo fidei Orthodoxæ Cenſori, quo nullum impenſiùs ſecundùm Regem venerantur Hiſpani. Quem eximium Magiſtratum cùm non niſi aut purpurati Proceres, aut viri ſumma fide, ſanctitate, doctrina ſingulares geſſerint, liquidò conſtat, nullam maioris ſollicitudinis provinciam Thomæ demandari a Rege potuiſſe: Atque hìc, quàm uberem præberi mihi video dicendi materiam, ſi velim vigilantiſſimam illius curam, in eo munere diligenter explendo, in medium afferre! Vos ipſi, A. A., ampliſſimum iſtum laudationis campum animo percurrite, & qui tot hucuſque a præſtantiſſimo Heroe præclarè geſta non ſine admiratione accepiſtis, ab ungue Leo-

nem

nem æſtimate. Non enim patiuntur temporis anguſtiæ id a me non præteriri, quod ſine crimine præterire non poſſum. Non patitur dolor, qui me dicentem interpellat, qui vos audientes graviſſimè premit, inflictum nobis, totique Chriſtianæ Reipublicæ vulnus, ob extincti Præſulis deſiderium, prolixiori eius meritorum commemoratione, acerbius exaſperari. Hoc unum dicam, nec ſine lacrimis dicam, Ioannes Thomas de Roccaberti, Hiſpaniarum decus nobiliſſimum, Dominicani Cæli clariſſimum ſidus, liberalitatis ærarium, Fidei columen, promptuarium ſapientiæ, virtutum omnium exemplar, quis crederet? iacet. Vir ille morum innocens, vitæ integerrimus, iuſtus, pius, comis, beneficus, dignus qui ſemper viveret, iam non vivit. Iam non vivit? O nos inconſideratos! o cæcam mortalitatem! Vivit, vivit adhuc, æternùmque vivet Thomas; immò nunc verè natus eſt æternitati. Extremum enim vitæ huius confinium, quod mortis nomine nuncupamus, nil aliud ei fuit, quam ab exilio ad Patriam, a labore ad requiem, a conflictu ad palmam, a carcere ad libertatem feliciſſima commigratio. Senſit vir ſanctimonia eximius fortunatiſſimum illud ſibi fatum imminere, cum Apoplectico morbo correptus, ſeptuagenario maior, lectulo decubuit, eò validius præſtans animi robore, quo magis corporis viribus deſtitutus. Crudeliſſimo quidem apparatu illum ab initio invaſit Morbus decretoriæ diei prænuncius, omnia ſiquidem, & mentis, & membrorum officia intercepit: ita verò, priſtinæ tàm animi, quàm corporis libertati, fuit poſtmodum integrè reſtitutus, ut, non ſine innumeris religioſæ pietatis documentis, omnia Eccleſiæ Sacra, nullo prorſus incommodo, nulla perturbatione, ſed ſumma quiete, ſummaque alacritate perceperit; eumque ex illorum numero dixeris, qui, ex Divo Gregorio, *mortis ſuæ negotium ridentes exequuntur*; naturæque concedere credideris, non vi morbi coactum, ſed deſiderio captum immortalitatis, non quia mori deberet, ſed quia vellet. O ſi nobis licuiſſet, A. A., puriſſimum Thomæ ſpiritum, fluxa mortalitatis ſpolia exutum, & ad Superos convolantem, oculis intueri! Omnes, opinor, beatisſimæ Patriæ incolas, cæleſti rore circumfuſos, & Siderum luce coronatos, videremus, aliqua lætitiæ ſignificatione novum Gloriæ Candidatum aduentantem

excipere

excipere, eique ſolemnem triumphi pompam adornare. An non debebat Cælorum Claviger Petrus, omnes, quotquot ſunt, Beatitudinis Poſtes, ei gratulabundus reſerare, qui pro eius Sedis maieſtate tuenda tot labores impenderat? An non illi obviam procederent, gratique animi documenta darent Pius Pontifex Maximus, cæterique non pauci inclyti eius Ordinis Heroes, ipſo adnitente, Aris impoſiti, ac publicis in terris honoribus excepti? Quid porrò Divi Ludovicus Bertrandus, Limenſis Roſa, & Gundiſalvus, quorum nomina, iampridem in hominum opinione ſanctisſima, in Sanctorum Album referri, a ſummo Pontifice obtinuerat? Agite verò, non ei feſtivus occurreret Sanctisſimus Parens, ac Patronus Dominicus, cuius nominis splendorem tàm latè auxerat, ſeverioremque diſciplinam, in paſtorali etiam dignitate conſtitutus, & Laneorum uſu, & reliquo vitæ Inſtituto, intemeratam ſervaverat? Non illi ſe darent in amplexum Thomas Villanovanus, qui Valentina in Inſula cognomini noſtro Heroi tanto temporis intervallo prædeceſsor, tàm propè ſanctisſimis virtutum ſuarum veſtigijs inhærentem aſpexerat; & novi Orbis Apoſtolus Franciſcus Xaverius, cuius humili exemplo ductus, nunquam, niſi in genua provolutus, ad ſummum Ordinis Moderatorem literas dare conſueverat? Nonne denique cumulatim plauderent ſinguli Cæleſtis Aulæ Proceres, & immortales ei laureas afferrent, qui nulla captus deliciarum illecebra, nullo ſenſuum oblectamento irretitus, ab ipſa propemodum infantia nihil tàm impensè adamaverat, quàm Pudicitiæ candorem, ruboremque modeſtisſimæ Verecundiæ; qui quartam, & ſextam quamque feriam pane cibario, & aquæ potu multos annos tranſegerat, ſetiſque cilicinis frequentisſimè corpus afflictaverat; qui ſingulos Beatorum Civium ordines, dum inter Mortales ageret, tàm benè expreſſerat imitatione virtutum? Vos nunc Iudices volo, A. A., num in hac, non labenti, & fluxa, ſed nunquam interitura noſtri Herois proſperitate, decentius ſit, mœrore animum opprimere, an gaudio exhilarare, geſtientiſnè, an indolentis faciem præſeferre. Preconiis, non lamentationibus, plauſu, non gemitu comitari decet triumphantem. Ridet ille lacrimas noſtras; illius riſui nos illacrimabimur? Siſtite igitur parentalem

talem luctum, piiſsimi Cœnobitæ; exporrige frontem, Chriſtiana Reſpublica. Cœpit Thomas ſibi vivere, cum nobis vivere deſiit. Frigidè illum amat, qui pluris facit jacturam ſuam, quàm ejus felicitatem. Quid autem de jactura inconſultus eloquor? Thomam nobis vivere deſiiſſe, quid temerè pronunciavi? Illud, quod ab ipſo Orationis exordio nimis audacter propoſui, revocare dictum cogor. Falſum eſt probi hominis interitum nobis detrimento eſſe, cauſamque lugendi ſuppeditare: quinimmò non minùs noſtram decet, quàm illius gratulari fortunam. Quid enim contingere nobis felicius poterat, quàm novi apud Deum acceſſio patrocinii? Vivit, A.A., quem nuper extinctum plorabamus, cœleſtis Patriæ fortunatiſſimus Civis; nec ſibi tantùm, ſed noſtrùm cuique vivit. Dubitare non poſſumus, quin nobis in Cœlis adſit, qui nemini defuit in terris. Aderit tibi validiſſimo præſidio, Chriſtiana Religio, tuamque cauſam apud Tribunal Divinitatis animosè perorabit. Vobis verò potiſſimùm aderit ſingulari tutela, Dominicani Ordinis præclariſſimi Viri, perpetuumque veſtræ gloriæ incrementum conſtantiſſimè promovebit. Patronum habebitis, quem Patrem habuiſtis: Eritis ejus participes meritorum, cujus nunc eſtis virtutum imitatores.

F I N I S.

1052.23

2

99 957336

1052.23

He